

CAPUT II.
De Successione Prætoria.

Nihil in hac, ad praxin non multum conferente materia, Supplementi loco addendum occurrit.

CAPUT III.
De Successione Feudali.

SUMMARI A.

- 1. Utrum liberi, nati ex matrimonio conscientia, succedant in feudo? Ratio dubitandi. 2. & seqq. Probatur opinio affirmativa, cum enervatione rationis dubitandi. 5. Filiabus quandoque ex consuetudine dos constituitur ex feudo. 6. Et interdum pars feudi datur in solutum.
- 7. & 8. Electio dandi partem feudi aut pecunias est penes Vasallum. 9. In successione feudali collateralis proximitas gradus mensuratur ab ultimo possessore. 10. Si adsit aliquis ex eadem linea, omnibus præfertur. 11. Alius vocatur, qui proximus est in linea viciniore.

QUÆSTIO I.

An liberi, nati ex matrimonio, quod vocant, conscientia succedant in Feudo?

Dixeris fortasse, quod non; argumentò desumptò à matrimonio, ad morganicam contractò, ex quo procreati liberi non succedunt in feudo juxta textum in lib. 2. Feud. tit. 29. At minus rectè: nam matrimonium, quod vocant, conscientia eò quidem sine plerumque contrahitur, ut uxor, si interioris conditionis fuerit, sit quidem thori focia, sed non consors dignitatis, saltem pro tempore, quò ita placuerit marito; nihilominus, nisi speciale pactum adjiciatur, ut liberi, exinde nati, feudalis successione incapaces reputentur, nec Lex nec ratio offencilum parit, quò minus succedendi jus obtineant. Quin imò liberum est ma-

rito, ejusmodi conjugio talem apponere conditionem, ut, si ex primo matrimonio jam adsint liberi, procreati ex secundo seu conscientia non succedant; illis verò è medio sublatis, his liber accessus ad successione pateat; qua in suppositione facultas succedendi adhuc clarius elucescit. Quid, quòd ipsi filii, ex matrimonio ad morganicam progeniti, non alia ex causa excludantur à successione, nisi quòd tali conditione inestur, ne filii ex eo nati patri ab intestato succedant? Textus in cit. tit. 29. & tit. 26. §. filii nati Feud. 2. Stryck in tract. de Success. ab intestat. differ. 1. cap. 3. §. 13.

QUÆSTIO II.

Utrum foemina ex Feudo masculino dos saltem debeatur?

Germania moribus receptum esse, ut foemina ex feudo dos constituatur, supponit Mevius p. 2. decis. 119. num. 2. & p. 3. decis. 363. num. 1. Si nempe, ut declarat Carpov. Jurisprud. for. p. 2. const. 46. def. 16. bona allodialia deficiant. Sed quia successor interdum valde onerosum aut omninò impossibile est, pecunià paratà ab onere dotandi se liberare, præsertim cum propter defectum pignoris (nec enim res feudalis oppignorari potest) difficulter quempiam inveniat, qui eas det mutuas: hinc partem feudi sæpiùs in solutum offerri, asseverat Stryck cit. cap. 3. §. 10. ideòque disputatum aliquando scribit, an filibus hoc casu electio competat, an verò Vasallus pro libitu

partem feudi offerre possit? A sua tamen Facultate Juridica decisum refert, electionem competere Vasallo: utpote cujus, totius familiae, quin & domini directi interest, ut feuda non nimium graventur, & cum onere dotandi prematur, facultate eligendi subleventur: non attentà dispositione Novell. 4. §. cap. 3. & Recept. Imp. de anno 1654. sò visum die Capitalia, ubi, si creditori bona in solutum offeruntur, illius dicitur esse electio: quia alii creditores certant de damno vitando, & pecunià, quam crediderunt debitori, recipienda; filia autem lucrum captare volunt ex feudo cum insigni successoris feudalis incommodo.

QUÆSTIO III.

A quo in successione feudali collateralis mensuranda sit proximitas gradus & lineæ?

Dixi hoc cap. num. 61. cum probatissimis Authoribus, esse mensurandam ab ultimo feudi possessore, & non à primo acquirente: quia in tit. 11. §. his consequenter (cui succinit tit. 37.) Feud. 2. post liberos demum fratres vocantur, cum tamen hi primo acquirenti sint proximiores. Ut tamen innotescat, quomodo sit habenda ratio lineæ, juvat explicationem ex Struvio in Syntagm. Fur. Feud. cap. 9. aphor. 7. num. 4. etiam à Stryckio d. l. diff. 3. cap. 2. §. 11. receptam, repetere. Nempe moriente Vasallo erit videndum, an aliqui in eadem linea, seu qui ex eodem stipite proximo cum defuncto de-

scendant, superint: hi enim omnibus aliis, etiam, primo acquirenti prioribus, præferuntur. Si verò in eadem linea nulli adsint, tunc ad lineam proximè viciniorem, hoc est, ad personas, quæ in proximo stipite cum defuncto conveniunt, progrediendum; & inde, qui Vasallo gradu proximus, ad successionem vocandus: ut sic prior lineæ, post gradus habenda ratio. E.g. moritur Vasallus, relicto patre & fratris nepote, nepos, tanquam in proximo stipite cum defuncto concurrans, patrum excludit per textum in tit. 50. in fin. Feud. 2.

CAPUT IV.

De Successione Statutaria & Pactitia.

DE Successione statutaria, cum nimium variet, additione opus esse, non censo; de Pactitia alibi quondam, DEO dante, ampliorem campum aperiam.



SUPPLEMENTUM

AD

LIB. IV. DECRETALIU M.

TRACTATUS I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

De Natura Sponsalium.

CAPUT II.

De Personis, Sponsalia contrahentibus.

Hæc duo Capita tam articulatim à me eviscerata fuisse, mihi persuadeo, ut quid addere vel apponere superfluum appareat. Imò universa hæc Sponsalium & Matrimonii materia adeò discussa & excussa jam est, ut ferè vix novi aliquid quoad substantiam in medium afferri possit. Quamobrem, si eandem ficcò propemodum pede in hoc Supplemento pertranseam, facile merebor veniam.

CAPUT III.

De Materia & Forma Sponsalium.

SUMMARI A.

1. Sponsalia censentur esse conditionata, si quis dicat, non ducam aliam nisi te. 2. & seqq. Referuntur, & refelluntur contraria. 7. Sponsalia secunda sunt obligatoria, quando prima solvuntur. 8. & seqq. Satisfit adversariis. 12. & seqq. Adducuntur argumenta contra nostram sententiam, quâ concedimus obligatio-

nem Sponsalium, si defloratio cum sicca matrimonii promissione coniugatur. 15. & seqq. Distinctis responsionibus evolvuntur. 20. & seqq. Sub incudem vocatur questio, cuiusnam sit electio, si quis pluribus repromittentibus dicat: ducam unam ex vobis? 23. Notamen practicum.

QUÆSTIO I.

An Sponsalia censeantur esse absoluta, si quis dicat: non ducam aliam, nisi te?

1. **E**jusmodi Sponsalia per se loquendò, & nisi de alia contrahentium intentione constet, esse tantummodò conditionata, dixi & probavi in hoc cap. à num. 5.

2. Neque adversatur I. quòd particula *nisi* ex sua natura sit exceptiva, ac denotet oppositum antecedentis, cui immediatè repugnat per cap. peccatum 4. de R. J. in 6. Sicque præmemorata verba faciant hunc sensum: *te ducam, & nullam aliam; vel nullam aliam ducam, sed te.* Nam, licet hæc particula sit exceptiva, ac denotet oppositum antecedentis, non tamen ex eo vincitur, quòd absolutam exceptionem contineat: quia, dum dico, non relinquam tibi legatum, nisi tua studia compleveris, minimè sequitur, deberi legatum absolutè, dum etiam, si studia ritè completa fuerint, adhuc liberum est testatori, velicne legatum relinquere, nec ne. Sufficit ergo, quòd illa exceptio sit conditionata, ac sensum importet: *si aliquam ducam, ducam te; quemadmodum, si dicam, nulli alteri fundum vendam, nisi tibi, exceptio est conditionata, importans hunc sensum: si cuidam fundum vendidero,*

vendam tibi I. si sterilis 21. § pen. ff. de Aff. empti vend. Clariss. P. Benedictus Schmier ad tit. de Sponsal. num. 21.

Neque adversatur II. quòd juxta nostram sententiam particula *nisi*, opposita promissioni de præsentis v. g. *non ducam aliam, nisi te*, censeatur esse absolutè promissoria: atque adeò etiam absolutam promissionem inferat, quando opponitur promissioni de futuro: aliàs, cum omnis promissio sit de futuro, vix aliqua sponsalia possent dici absoluta. Si quidem lata & patens est disparitas inter unam promissionem & alteram: quia promissio de præsentis involvit absolutam promissionem de contrahendo matrimonio; & si apponatur particula *nisi*, illa non potest esse conditionata, ne in eodem verborum contextu unò verbò negetur, quòd aliò affirmatur: econtra promissio de futuro per se non est absoluta promissio, consequenter ex additione particule *nisi* non alteratur, sed potius suspenditur sub nova conditione, quòd nempe, si quis aliquam ducere velit, cum illa contrahere cupiat, ad quam verba facit.

QUÆSTIO II.

Sintne obligatoria secunda Sponsalia, quando prima dissolvuntur, aut Sponsa prior cedit jure suo?

7. **A**ffirmavi in hoc cap. num. 41. additâ ratione in num. 42. quia, ne posteriora sponsalia dicantur peccaminosa, præsumendum est, illa non fuisse contracta absolutè, sed conditionatè, si nempe priora sponsalia ex renuntiatione prioris sponsæ vel alia causa deserint obligare. Sed contra instat P. Pichler ad ad tit. de Sponsa duorum num. 5. quia hæc conditio nec ex natura rei nec ex dispositione Juris imbibita est sponsalibus secundis: non ex natura rei, dum utique possunt iniri absolutè, non obstante peccato, quòd in secundis sponsalibus intervenit; sicut eadem res potest absolutè vendi, quamvis in-

validè, secundo emptori, non obstante peccato; neque etiam ex dispositione Juris: ubi enim extat hæc dispositio?

Responsio tamen in promptu est, quòd hæc conditio sponsalibus insit ex dispositione seu benigna Juris præsumptione: cum enim Jura peccatum non præsumant; sed actum ita benignè interpretentur, ut remotus & separatus sit à peccato cap. esse misericordes 2. X. de R. J. ibi: *hòc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut facta, quæ ambiguntur, in meliorem partem interpretentur; cumque Jura pariter stent magis pro valore actus, quàm ejus nullitate per I. quoties 12. ff.*

ff. de Rab. dub. cur non præsumamus, sponsalia secunda fuisse conditionata, ut dicatur esse licitè, & sub conditione præfata, etiam validè contracta? Idem omninò extendi potest ad venditionem, quæ, si jam facta

sit primo, potest etiam fieri secundo sub tali conditione, si nempe prima ad effectum non pervenerit: nam eadem Juris præsumptio, utpote generalis, secundæ venditioni suffragatur.

QUÆSTIO III.

An ex facta promissione, cujus adminiculò quis obtinet usum corporis, oriatur obligatio Sponsalium?

12. **A**ffero hic aliquot rationes contra sententiam affirmantem, cui subscripsimus in hoc cap. num. 61. & seqq. I. est, quòd obligatio sponsalium non bene deducatur ex communiter allegato cap. si seduxerit 1. de Adult. & supra: non enim agitur ibidem de promissione facta, sed de seductione, per illecebras, blanditias, & sollicitationes factâ. II. quòd ad omnem contractum, præcipuè sponsalium, requiratur utriusque partis consensus; hic verò in factè promittente consensus adesse nequeat, non tantum ab initio, sed etiam ex consequenti, quando obtinet usum corporis: quippe cum usum corporis non acceptaverit cum animo repromittendi sponsalia, sed potius internè contradixerit. III. quòd, si quis factè promittat sponsalia, non petità vel impetratâ defloratione, non contrahat obligationem sponsalium: adeoque nec tunc contrahat, ubi petita & impetrata fuit defloratio.

verecundiæ tenax, in rem adèd turpem rariùs consentit, nisi speret commodum aliquod suâ opinione excellentius; matrimonium scilicet, cum seductore contrahendum. Ad II. jam responsum est in dicto hoc cap. n. 63. & seqq. consensum ex parte seductoris saltem tacitum intervenire ex consequenti, dum obtinet usum corporis: cum enim virgo non aliter corpus offerat, quàm sub pacto ineundi matrimonii; seductor quoque non aliter usum corporis acceptare potest, quàm sub promissione matrimonii, deinceps contrahendi; quidquid deinde secum cogitet, aut internè contradicat, vel protestetur: hæc namque contradictio vel protestatio, tanquam factò contraria, prorsus est inefficax: aut, si pro tunc fortassis tolleretur verum consensum, saltem post factum oritur obligatio, ut, cum virgo adimpleverit pactum, id etiam seductor ex sua parte adimpleat, ducatque stupratam, sicut accidit in contractu innominato facio ut facias.

13. **R**ationibus hisce ut satisfaciam, Resp. ad I. casum excogitari non posse, qui magis conveniat textui in d. cap. si seduxerit, quàm nostrum: is enim propriè & in veritate seducit virginem, qui sub facta matrimonii promissione impetrat, ut cum ea dormire & concumbere possit: virgo siquidem, pudoris &

Ad III. discrimen est patulum inter factam promissionem sine & cum defloratione: quia, ubi nulla committitur defloratio, nullum occurrit factum & pactum novum, ex quo eliciatur novus consensus, aut saltem obligatio, verum consensum præstandi.

QUÆSTIO IV.

Cujusnam sit electio, si quis pluribus puellis repromittentibus dicat: unam ex vobis ducam?

19. **D**ifficultatem hujus rei ostendi in præf. cap. à num. 91. contra eos, qui putant, electionem esse penes promittentem, & non repromittentes. Ostendit quoque Clariss. P. Benedictus Schmier cit. l. sub numer. 20.

20. **N**ec putes: eandem difficultatem levi manu complanari posse, dicendò, quòd solus promittens habeat obligationem alternativam, indeque consequentem eligendi facultatem; repromittentes puellæ ex diverso non habeant obligationem alternativam, sed qualibet se obstringat separatim, ac propria obligatione teneatur; sicque qualibet se determinatè obliget ad nutum & placitum promittentis. Enimverò, si Titius v. g. dicat: *unam ex vobis ducam*, & tres v. g. puellæ respondeant, *acceptamus tuam promif-*

tionem, una ex vobis te ducet: nonne & ipsæ puellæ habent obligationem alternativam, seu indeterminatam, dum neutra ex illis positivè se determinat, sed adhuc inter se manent incertæ & indeterminatæ, quænam in particulari Titio nubere obligetur? Itaque 21 prima ex tribus, conventa à Titio, respondere potest: ego meam personam tibi determinatè non obstrinxi; sicque & secunda & tertia respondere poterit, intricatò & incertò rei exitu.

Illud libentiùs indulgeo, posse Titium omnes tres puellas in foro Ecclesiastico eò sine convenire, ut omnes citentur ad declarationem & determinationem inter se faciendam, & si hoc velint, auctoritate Judicis Ecclesiastici compellantur.

CAPUT IV.

De Effectu & Affinibus Sponsalium.

Vacat.

CAPUT V.

De Modis, quibus Sponsalia dissolvuntur.

SUMMARI A.

1. Ingressus in Novitiatum ex parte neutrius solvit Sponsalia. 2. & seqq. Aliquot objectiones formantur, & reformantur. 8. & seq. An fornicatio quoad Sponsalia idem operetur ex parte Sponsi & Sponsæ? Ratio negandi. 10. &

seqq. Rejicitur, & stabilitur affirmativa. 14. & seq. An An resiliere liceat, quando pars una fit ditior? Motivum dubitandi. 16. & seq. Resolvitur. 18. & seqq. An pars conscia proprii impedimenti occulsi possit urgere matrimonium?

QUÆSTIO I.

An ingressus in Novitiatum relinquat Sponsalia intacta ex parte utriusque?

1. Cum affirmantibus sensu in hoc cap. à n. 41. eo præsertim ex fundamento, quod pars, remanens in sæculo, non habeat justam causam resiliendi, ex quo cuilibet post sponsalia licet ingredi Religionem; ipsaque sponsalia hanc conditionem ex dispositione Juris in se continent: quam proinde contrahentes scire debent, & scire præsumuntur.
2. Neque dicas I. quando sponsus diu abest ex causa etiam justa & necessaria, sponsa jus habet, à sponsalibus recedendi. Ergo etiam habet justam causam recedendi, quando sponsus est ingressus Religionem: utpote cum diu possit abesse; & sponsæ perniciosum aut periculosum sæpe accidat, professionem aut regressum expectare. Resp. enim, disparitatem non modicam subesse: quia, si sponsus diutius abest ex causa valetudinis v. g. aut militiæ, casus est, à sponsa non prævisus; & ideo ex illa regula, quod, si prævidisset, non contraxisset, jus resiliendi consequitur; non consecutura, si absentiam præviderit.
4. E contra si sponsus ad Religionem se consecrat, casus est, quem sponsa prævidit, aut prævidere debuit: ideoque facultate resiliendi,

post solum ingressum, necdum secuta professione, carebit.

Neque dicas II. ingredientem Novitiatum ipso facto sponsalibus tacite renuntiare, suumque animum erga sponsam deponere: quippe cum non intendat redire ad sponsam, sed potius in Monasterio stabiliter permanere. Resp. siquidem, renuntiationes tacitas non tam facile præsumi, nisi intercedat factum aliquod, cum jure aut obligatione præcedenti incompatible: atqui solus ingressus in Novitiatum non est factum, cum jure & obligatione sponsalium incompatible; dum ingressus necdum assumit verum statum, sed Religionis onera tantummodo experitur; & si illa sibi non conducere existimat, liberè ad sæculum regreditur; & ut docet experientia, sæpissimè ad statum matrimoniale se resolvit. Hinc etiam animus erga sponsam non deponit absolute, sed conditionatè, si nempe, habità sufficienti probatione, judicaverit, statum Regularem præ seculari & conjugali sibi magis proficuum fore.

QUÆSTIO II.

An fornicatio quoad Sponsalia idem operetur ex parte Sponsi & Sponsæ?

1. Eandem operationem adstruxi in hoc cap. à num. 110. & à num. 115. Disparem autem conditionem & operationem cum aliis evincere conatur P. Pichler ad tit. de Sponsal. num. 62. & 64. atque, ut solummodo delibem illam sententiam, quâ hic Author soli sponso concedit jus resiliendi, quando utraque pars fornicationem admittit, is fundat se in hoc argumento, quod reperitur duplex causa, resiliendi à sponsalibus ob fornicationem supervenientem, scilicet violatio fidei data, & specialis turpitudine, in personam for-

nicantem redundans; & ideo cesset quidem violatio fidei, quando pars utraque fornicatur, non tamen cesset specialis turpitudine, quæ major est in sponsa, quam in sponso; sicut & major ignominia redundat in eum, qui ducit corruptam, quam in illam, quæ nabit corrupto. Verùm, si respiciantur

dicta in cit. hoc cap. num. 121. & seqq. argumentum hoc jam eversum est, partim negandò, quod in sensu Theologico & Juridico major sit turpitudine in sponsa fornicante, quam sponso: ex quo non tantum æquale sed

sed etiam majus est delictum sponsi quam sponsæ, quæ plerumque ex fragilitate sexus magis excusari potest; partim retorquendò paritatem de adulterio, quod, si ex parte utriusque conjugis admissum fuerit, compensationem patitur, neutrique devotium conceditur juxta expressum textum in cap. intellectimus 6. de Adulter. Unde patet simul responsio ad confirmationem, quam subjicit P. Pichler de Titio, qui debet Cajo 100. flo-

renos ex mutuo, & 100. pro equo, cui contra Cajus debet solum 100. pro labore aut opera impensa, quo in casu tantum 100. vicissim compensantur: nam in nostra hypothese sponsus & sponsa habent idem debitum, atque ad eandem fidem sibi invicem obligantur, & similiter eodem modo per fornicationem illam violant: consequenter est æqualis & totalis utriusque delicti compensatio, quando utrinque fornicatio admittitur.

QUÆSTIO III.

An resiliere liceat à Sponsalibus, quando pars una fit notabiliter ditior aut nobilior?

14. Negantis sententiæ defensor cit. P. Pichler num. 69. contra nostram & affirmantem opponit, quod univèrsim facultas resiliendi detur personæ duntaxat, non mutata, non autem illi, quæ mutationem subit, ut patet ab inductione in lepra, sævitie, paupertate &c. superveniente: eaque propter in hoc casu non possit repudiari persona, penes quam nulla reperitur mutatio ab illo, qui factus est ditior, aut dignior. Quodli respondeatur, partem alteram mutari comparativè, quatenus sit conditionis vilioris in comparatione alterius, quæ evasit conditionis melioris, reponit cit. Author. istam mutationem comparativam non sufficere, ut pars illa, comparativè mutata, privetur jure quæsito; licet, si hæc inæqualitas fuisset prævita, cum illa non fuissent in sponsalia; sicut sponsa non potest propterea repudiare sponsum, quod ipsa post sponsalia notabiliter formosior sit facta. At, insistendò priori responsioni de mutatione comparativa, planè non obstat, quod pars, in se non mutata, pri-

vetur jure quæsito: nam in omnibus aliis causis, post sponsalia supervenientibus, quibus prævisis non fuissent contracta sponsalia, pars altera privatur jure suo ex illo principio, quod præsumendum haud sit, voluisse quem pro tali circumstantia se obligare, in qua ad statum matrimonialem cum hac vel illa persona se non obligasset: hoc autem contingit etiam in nostro casu, quò supervenit mutatio respectiva, dum præsumi non potest, quod v. g. studiosus cum vilis opificis filia iniisset sponsalia, si prævidisset, quod à Principe in classem nobilium, aut dignitatem Consiliariorum esset evehendus. Nullatenus impediende instantiâ de majori formositate, quam sponsa acquirit post sponsalia: vix enim credo, unquam accidisse, ut sponsa tam notabiliter post sponsalia quoad speciem & formam mutata sit, ut, hæc mutatione prævisa, cum sponso non contraxisset; nihil dicendò, quod ex parte viri in matrimonio celebrando non ita spectetur forma, sicut ex parte femine.

QUÆSTIO IV.

An, si Sponsus aut Sponsa sciant ex parte sua occultum aliquem defectum, ratione cujus altera pars posset à Sponsalibus resiliere, nihilominus matrimonium urgere valeant?

18. Examinat hanc quæstionem Clariss. P. Antonius Heislinger in Respons. moral. part. 1. casu 12. & in num. 11. & seqq. resolvit, sponsum aut sponsam posse cogere partem alteram ad matrimonium, sive defectus ille occultus proveniat ex delicto, sive ex causa alia, dummodò exinde non reddatur inhabilis ad perficiendum opus conjugale. Ratio est: quia, suppositâ habilitate ad opus memoratum, defectus ille non obstat, quò minus possit contrahi matrimonium; &

suppositò sponsalium antecedentium valore, pars etiam defectuosa non amisit jus, ex sponsalibus quæsitum: ergo illud ad effectum deducere, & matrimonium urgere valet, absque eo, quod defectus suum manifestare teneatur: neque enim, si defectus oriatur ex delicto, seipsum infamare; & si oriatur ex causa alia, arma parti alteri ex sua domo ministrare, aut exceptionem, per quam infringatur jus sibi comparatum, propalare obstringitur.

